




IANVS NICIVS  
ERYTHRÆVS.

IANI NICII  
ERYTHRÆI  
**PINACOTHECA**  
**IMAGINVM**

ILLVSTRIVM  
*DOCTRINÆ VEL INGENII LAVDE*  
VIRORVVM

QVI  
AVCTORE SVPERSTITE DIEM SVVM  
OBIERVNT.

*EDITIO NOVA,*



L I P S I Æ  
APVD THOMAM FRITSCH.

---

ANNO M DCCXII.



*Illustrissimo ac Reverendissimo*

DOMINO

**D. FABIO CHISIO,**

Apud Vbios Sedis Apostolicæ Nuncio,

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS.

**P**ostquam singularis tua virtus, ingenium, eruditio, atque sapientia memet mihi eripuit, arctissimoque amoris nexu tibi devinxit, sentio, illud mihi evenire, quod doctissime ingeniosissimeque commentus est Plato; nempe meum a me animum abesse in remotissimis istis regionibus, tantoque a nobis intervallo disjunctis peregrinati, tecum una vivere, fabulari, neque a latere tuo uspiam abscedere. Sed inter tot tantasque voluptates, quas ex te percipit, una tantum cura eum anxium habet; videlicet, ut tuis maximis in me beneficiis aliquam gratiam referat. Itaque nihil tam cogitat, quam ut quidpiam ad te remunerandum inveniat, si non parigrato saltem aliquo munere. At cum oculos usquequaque convertat, in nulla re alia eos defigit, quæ quidem re digna videri possit, præterquam in Pinacotheca, quam nuper absolvi, constatam ex imaginibus, tum clarissimorum hominum, atque omni virtute principum, tum quorundam aliorum, in quibus aliqua ingenii forma enituit. Sed quoniam multis erat vitiis depravata, atque distorta, multitudinis in se oculos sermonesque convertit; atque, cum nihil melius occurrat, pro ære alieno quo obstringitur quod dissolvat, quasi aliquo iudicio eam tibi Pinacothecam adjudicatis, teque in ejus possessionem immittere statuit. Neque id fortasse erit a re tua alienum. Nam, si a negociis publicis feriatus, tanquam in eam ingredi,

IANI NICII ERYTHRÆI

# PINACOTHECA

Imaginum illustrium doctrinæ vel ingenii  
laude virorum, qui, auctore superstite,  
diem suum obierunt.

MARTINVS AZPILCVETA,  
NAVARRVS.

**S**I de cuiusque ingenio ac facultate existimare ex  
celebritate nōminis liceat, (quod magnos sæ-  
pe viros, non tam virtute, quam nobilitate  
metimur) non video, quem anteponam Marti-  
no Azpilcuetæ Navarro, juris pontificii, sacro-  
rumque canonum, nostra tempestate, antistiti. Ea enim,  
de singulari hominis doctrina, omnium animos invaserat  
opinio, ut domus ejusdem, non unius modo civitatis, sed  
totius orbis terrarum oraculum haberetur, quo omnes  
confugerent, unde, in suis rebus dubiis, responsum refer-  
rent, quodque dictum ab eo esset, non aliunde quam ex  
Apollinis ore prolatum acciperent. Denique, quemad-  
modum olim Roscius, nobilis histrio, assecutus fuerat,  
ut in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere  
Roscius diceretur; ita is, conversis in se hominum stu-  
diis, sibi pepererat, ut ex suo nomine, non jam hominis,  
sed honoris vocabulo, quicumque in aliqua facultate ex-  
celleret, Navarrus appellaretur. Fuit tribus summis  
Pontificibus eximie carus, Pio v, Gregorio xiii, & Six-  
to v, ut non alio consultore uterentur, in iis dijudican-  
dis, quibus conscientia constrikti tenemur. Ac Gre-  
gorius xiii. tantum homini honorem habuit, ut, cum  
per Urbem iter habens, ante ejus ædes obequitaret, (nam  
strenuum illum principem, quamvis ætate decrepita, vix  
quisquam in itinere, nisi in equo sedentem, aspexit) con-  
supto juberet evocari eum foras, & integram fere ho-  
ram,